









1709.

- 1<sup>st</sup> Bodinus, Henricus : De remuneratione talis facti  
1<sup>st</sup> Boden, Henricus : De remuneratione talis facti  
2<sup>nd</sup> Bodinus, Henricus : De divorce conjugum propler  
Selicham 2 August. 1709 & 1720.  
3<sup>rd</sup> & 6<sup>th</sup> Bochmer, Justus Henninges : De dominio liti  
2 August. 1709 & 1738.  
4<sup>th</sup> & 7<sup>th</sup> Bochmer, Justus Henninges : De Discrime Tempore  
et mariae 2 August. 1709 & 1738.  
5. Lustig, Iacob. Petrus : De calonis absorptione.  
6. Lustig, Iacob. Petrus : Conductionem villorum  
respondet  
7. Lustig, Iacob. Petrus : De conductione perpetuaria  
8<sup>th</sup> & 7<sup>th</sup> Lustig, Iacob. Petrus : De jure suffragii R. Boho  
niac . 2 August. 1709 & 1739  
9. Michaelis, Iacobus Henricus : De usu LXX. interpretatione  
in N. testamento 1721.

10. Hauburc, Christianus : *Fridericus bellicosus Academice Lipsiensi ante hos trecentos annos fundator historicus descriptus*
11. Reichius, Jakobus : *Vimutatis apogeistica volumen,*  
*que Poliphonia sapientissima inter mortales feminas*  
*a curortio Uspiani viassatur*
12. Stykius, Dr. Samuel : *Dico, quod justum est Ciceron  
Virtutibus*
13. Stykius, Samuel : *De juri his singularibus Coniunctionum  
in Germania*
14. Stykius, Samuel : *De fentis dissatiae superiores*
15. Stykius, Samuel : *De conventionibus usurariis*
16. Stykius, Samuel : *De usitatis rerum venalium*
17. Stykius, Samuel : *De diverso colonorum iure.*

17ag 2 1747.





1908 28  
Halle 1709

anno

# IOANNIS REICHL,

DISSERTATIO APOLOGETICO-VOTIVA

qua

## CALPHVRNIA

*Sapientissima inter mortales femina*

à

*conuictus Vlpiani vindicatur,*

&

VIRO - IVVENI

CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

# IACÒBO OTTO,

ANCLAMENSI - POMERANO,

pro summis in Iure honoribus publice & so-  
lemniter disputanti perennis exoptatur  
*felicitas.*

18

**D**E exitiali multorum vocabulorum abusu iustas duxisse querelas æternum illud Britanniæ decus, Io. Lockium, (a) dudum confessi sunt illi, qui solerti veritatis scrutinio & sanioris sapientia studio indefessam huc usque addixerunt operam, (b) Quum enim voces natura ipsa & citra hominum voluntatem nihil significant (c) & a libera Gentium voluntate & arbitrio omnis vocabulorum usus pendeat, utpote

quas penes arbitrium est, & ius & norma loquendi (d) factum est, ut mortalium quisque pro vana inclinationis, ingenii, adfictus propositique sui ratione ac indeole nouam plane, eamque incommodam aut peruersam indies ad fingeret significationem, natuum vero & naturæ rei & vocis origini consentaneum adæquatumque sensum respueret nimis aut inuper haberet, ut summa cum adseueratione affirmari possit, aut nullam, aut obscuram, ambiguam minusque aptam impositam esse hodie vocibus significationem. Exemplum longius petutum nobis haud conquirendum, sed quod præsens disputatio examinandum fuit, intuendum paucis contemplandumque est, sic veritas assertionis satis in propatulo habebitur. Varia imprimis & insignia vocabulorum, quæ in Iure Ciuili commodam significationem habebant, immutandorum, vel nouiter effingendorum, vel absolum in sensum pertrahendorum specimina dedisse Pontificem Romanum in Iure, quod dicitur, Canonico, non potest fugere eum, qui compertum habet, illud ex foeda regnandi dominandi in Principes libidine consarcinatum esse, quæ indignationem, liuorem & æmulationem, magnos illos veritatis ac pietatis hostes, perpetuos habebat comites, (e) ut non errauerim, si ex hoc fonte discessus Iuris Canonici a ciuili, errores, contradictiones, insulsa doctrinas, quas Pontifex in hac sentina maiorum fouet, pro manasse adseram & consuetis vocabulorum abusibus & veritatis immutationibus omne illud adscribam, quidquid in iniquo hoc iustitiae & æquitatis sacrari contra scripturæ sacrae normam, rectæ ratio.

(a) De l'Entendement humain, lib. III, c. 10, §. 2. (b) Rebhahn de interpret, Iur. obsc. thes. 23 seqq. (c) Grot. de l. B. & P. lib. III, c. 1, §. 8. & August. lib. II, de doctrina Christi, c. 24. (d) Anton. le Grand, Instit. Philos. Pt. I, c. 10, n. 5, p. 51. (e) Stryke de præcognit, iur. yniuersit, cap. 8, §. 1.

rationis usum, legum ciuilium fancita scriptum legitur. Absit tamen  
ut ob sacrilega & impia quedam adserta, errores falsasque opiniones  
pasim in illo corruscantia, illud totum abdicemus, aut igni flammis-  
que cum Luthero tradamus, aut denique tota conuictorum plaustra in  
illud exoneremus, quum arduæ nos & prægnantes circumstent ratio-  
nes, ob quas maiori cum diligentia ius Canonicum euoluendum ad-  
discendumque est, quam Ius Iustinianum. Exhibuit nobis eas, quam-  
vis summatim & breuiter Excellentissimus Vir, Christianus Thomasius,  
& solidis argumentis publica ab utilitate petitis demonstrandum dedit,  
plus temporis studiique Iuri Canonico, quam Ciuli & Romano im-  
pendendum esse. (g) Nec permittit studii iuridici ratio, aliam in com-  
paranda Iuris æquue notitia ingredi viam, si vtriusque Iuris Candidati,  
Licentiatu aut Doctoris nomen dignitatemque cum laude sustinere cu-  
pimus. Dandum enim aliquid venia est præoccupatis mortalium  
mentibus partiumque studio abruptis, cui plurima pars Doctorum, qui  
huius iuris placita in unum redegerunt systema, addicta tenebatur, ac  
separandum a scoriis aurum est, quod in venis legum delitescit, quo  
utilia ab inutilibus, vera ac falsis iuste secernantur & reiectis casis fu-  
tilibusque ea, quæ frugi sunt & emolumenntum in Republica vtraque  
habent, retineantur. Positum esse solet in more cauti solertisque ven-  
tatis scrutatoris, sana vbique & salutaria sectari dogmata, & si quæ  
minus recta aut a ratione, pietate ac utilitate aliena deprehendit, ea  
castigat & abusui obnoxia aut depravata in melius commutat. Hæc  
me impræsentiarum commouit ratio, pro Calphurnia, sapientissima  
femina, apologiam scribere mentisque meæ cogitationes de illo Præ-  
toris Edicto vberius explanatus exponere, quod Vlpianus L. i. § 5.  
π. de postulando exhibit & ob illud feminas a Procuratoris officio, ceu  
maxime virili, arcet & cohobet, hæc verba pro ratione allegans: ne con-  
tra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant, ne virilibus  
officiis fungantur mulieres. Nec in his subsistit, sed originem a Car-  
fania, improbissima femina, petit, quæ inuercunde postulans & Ma-

(f) Henr. Cornel. Agrippa de vanitate, scient. c. 92. (g) in prefat, ad Gerh. von Ma-

stricht, Histor. Iur., Eccles., & Pontif.

gistratum inquietans, causam dederit Edicto, cui sancito consona est  
L. 2. n. de R. L. & L. 18. C. de Procurat. Hallucinatum fuisse Vlpianum  
pro more suo in rationibus adiectis primo adspectu patet, dum impud-  
entia donum personis, quæ postulare cupiunt, haud obscure adscri-  
bit & feminas eapropter ab Aduocari officio coeret, ne contra pudi-  
citiam sexui huic congruentem alienis causis sese immiscentes quid-  
quam suscipiant. Sic enim suo iam ævo existimauit Vlpianus, & ita  
adfectus adhuc hodie est multorum animos, ut loco probitatis, hone-  
statis ac doctrinae animum subdolum, vaniloquentiam seu garrulitatem  
ac donum impudentiae Aduocatis anxie commendent, nec infreenter  
eosdem verbis Luciani instruant: h) Quod maximum est, temeritatem affer,  
dein audaciam & impudentiam; verecundiam autem mansuetudinem, medi-  
ocritatem & erubescientiam domi relinque: inutilia enim sunt & negotio  
per quin contraria. Et porro: audacia & impudentia, mendacium,  
quoque promptum ac semper in labiis summis perjurium & inuidia erga  
cunctos, odium quoque & blasphemia, nec non calumniae frequentes, hec  
te breui celebrem & conspicuum reddent. Nec melior maiorisque mo-  
menti altera est, quam subministrat Vlpianus ratio, ne virilibus officiis  
fungantur mulieres, quum illæ ad alia negotia virilia sponte prompteque  
admittantur, nec in propria causa, si eam in foris proponere & serram  
alterationis cum aduersario reciprocare volunt, a iudiciis excludantur.  
Recte enim iudicat Consummatissimus Regia nostræ Academiæ ICtus,  
Samuel Strykius, (i) dum Advocati officium naturæ femininæ haud contrarium pronunciat atque exemplum a Regio Imperio, munere maxime  
virili, cui feminae prudentissime felicissimeque olim præfuerunt & ad  
huc hodie præsunt, petit, futilles Magonii (k) & Borelli (l) rationes refu-  
tant, opinantium: Iudicem mulieris venustate vel facundia amore capi  
facileque corrumpi posse. Nec prætermittenda est origo seu occasio  
Edicti Prætorii, cuius heic mentionem iniicit Vlpianus, sed videndum,  
quid præsidii pro communi doctrina in ea lateat, ne quidquam omitta-  
mus, quod nobis ansam præbere possit thema nostrum exactius exami-  
nan-

(h) Vid. Ziegler. Rabulistic. c. 4. & 9. ac Parthenius litigiosus lib. II. c. 7. (i) in disp.  
de Aduocat. conscient. cap. I. n. 21. (k) Cynosur. Aduocat. p. II. c. 2. n. 13.  
(l) de Mag. Edict. lib. I. c. 7. n. 47.

nandi ponderandique. Dedit vero illam Carsania, quæ improbissima  
dicitur femina, inuercunde postulans & Magistratum inquietans.  
Abusum fuisse Vlpianum Carsanæ vocabulo illudque Calphurnia loco  
substituisse, haud yanam facio conjecturam & ex ipsa Doctorum dissen-  
sione suspicionem duco, dum ambiguo Marte de nomine feminæ cer-  
tant, quæ abiecta omni verecundia refractisq; pudoris claustris canæ im-  
pudentior postulauerit Magistratumque inquietauerit. Vulgus Inter-  
pretum eam vocat Carsaniam, sed Corasius (m) eam Caiam Afraniam  
Licinii Buccrionis vxorem appellat, auctoritate Valerii Maximi (n)  
procul dubio nitens, qui eam adeo promptam ad lites contrahendas  
pronunciat, ut in usitatis foro latratibus adsidue tribunalia exercendo  
muliebris calumniæ potissimum euaserit exemplum. Quamvis Mor-  
erius (o) cum Valerio Maximo eam lecti födere rectius societ Licinio  
Buccioni, Senatori Romano Amplissimo, fronti tamen illius idemti-  
dem rixandi litigandique in foro notam inurat. Qui ad curatus sen-  
tiunt, Calphurniam, Plinii Iunioris vxorem nominant (p) quæ in studiis  
humanioribus & Iurisprudentia tantes fecit progressus, vt non solum  
librum, quem Maritus conscribere inchoauerat, perfecerit & luci publi-  
cae exposuerit; (q) verum etiam ea facundia ac animi promptitudine  
caussas in Iudiciis peroraverit, quæ fata cauſarum dirimebat, lapsa erige-  
bat, fatigata reparabat & glorioſa vocis confusa munimine, laboran-  
tium spem, vitam & posteros defendebat, (r) quæ egregias animi dotes  
ipſe Plinius admiratur & exquisitissimis laudibus exornat. (s) Provo-  
cat Morerius (t) ad Antonium Augustinum de Leg. & Sc. qui Auctor si  
ad manus esset, plura forsitan de persona, eruditio ac iuris notitia pre-  
dentissimæ huius feminæ edifferere valeremus. Inquisituri iam in  
genuinas Edicti Praetorii rationes, reiicimus falsa & insulsa Vlpiani dicta  
& veriora ac meliora substituimus, quo nobis de origine & occasi-  
one Edicti constet & cauſa erroris communis in lucem e-  
mer-

- (m) lib. IV. Miscell. c. 21. (n) lib. VIII. c. 3. exempl 2. (o) Dictionnaire Historiq.  
sub voce Afrania. (p) Hoffmann in Lexic. vniuersi, tom. I. p. 354. & Henric.  
Corn. Agrippa oper. part. post. de nobilit. & precell. sex. sem. p. 536. (q)  
Joh. Frauen-Joh. in der Lohnwürdigen Gesellschaft gelehrter Weibet p. 6.  
(r) L. 14. C. de Aduoc diu, Iudic. (s) lib. IV. Epist. 19. (t) Diction. Histor.  
rig. sub voce Calpurnia.

merget. Ea plerumque est mortalium indoles & prava hæc consuetudo altas dudum in multorum animis radices egit, ut vel dictis Virorum auctoritate pollutum fascinat, aut vano vitiosoque vita genere, quod cacoethes hominum sectatur, temeraria inconsultaque de rebus personisque plurimis, quas vel obiter norunt aut per transennam adspicerunt, iudicia proferant eaque postea arcta teneant defendantque, quæ tamen, si rerum hominumque naturam, indolem, dignitatem ac præstantiam adcurius introspicunt, falsa deprehendunt atque a veritate alienissima. Platonis (u) itaque, Aristotelis (x) aliorumque veterum Philosophorum auctoritate factum esse credo, quod feminis impudentia, iracundia, inconstantia & nescio, quid monstri adscriptum illudque Poetæ effatum (y)

Varium & mutabile semper

Femina ,

pro folio Sybillæ reputatum fuerit, quia iam allegata vitia promiscuae saltæ multitudini ac gregariaz colluuiæ, non vero feminis honestis & præstantibus adscribi possunt, utpote quæ teste Becmanno (z) atq; Meningo (a) magis ex educationis institutionisq; defectu, quam naturæ culpa proueniunt: nemini enim præclusa est virtus, sed omnes admittit, nulla vel sensus vel sexus ratione habita. (b) Nihilominus hanc ineptam & a profanis mentibus effictam opinionem Prætores auide adripuerunt & ob enarrata crimina præstantissimas ac virilis animi feminas ab Advocati munere suscipiendo coercuerunt, quos improuide sequuti ICtii veteres eas quoque a muneribus Reipublicæ exornandis ceterisque dignitatibus procul abesse iusserunt, vix memores illius effati, quod alibi (c) de seminarum iudicio ingenique *ἀνθεῖα* pronunciarun. Sed mitto iam hoc *divinopias* specimen, quod temeritatem, præcipitatem & incuriam illorum, qui placita ICtorum veterum in ynum congeserunt systema, apertissime prodit. Hic tamen animum meum ad huc yellicat scrupulus, quare Ulpianus Calphurniam, lectissimam feminam tantis verborum contumelias lacerauerit, cui tamen teste omnis

exce.

(u) Lib. VI. de LL. (x) lib. IX. de Histor. animali. c. 10. (y) Virg. IV. Aeneid. v. 469.

(z) Medit. pol. cap. VI. §. 3. (a) in Histor. mulier. Philof. Daciezis inscripta p. 3.

(b) Seneca lib. III. de beneficiis cap. 18. (c) L. 12. §. 5. π. de Iudic.

exceptionis maiore, Marito, summum fuit acumen, summa frugalitas,  
castitas ac litterarum studium. (d) Criminatur quidem Vlpianus, quod  
inuerecunde postulauerit & Magistratum inquietauerit, sed conutia sua  
non probat, quin potius apertum malæ caussæ indicium profert, dum  
Carfaniæ nomine abutitur, veritatem opprimit & imperitis imponit.  
Laude potius ac prædicatione dignam iudico Calphurniam & dicta  
Vlpiani contumeliosa contemno: quia pro iure suo agebat & illud, quod  
fas erat, Iudicibus imperitis & malevolis ardenter efflagitabat, qui  
consutis dolis ac technis illud inflectere ac violare meditabantur: nam  
res suas in iudicium deducere, postulare & Magistratum sollicitare non  
est flagitium, sed iustitiam partibus litigantibus denegare & cum repulsa  
easdem dimittere crimen inuoluit. Hoc procul dubio animaduer-  
terunt nonnulli iuris Antistites & iniquum Edictum Prætorium aliqua-  
tantum ex parte ad æquitatem reduxerunt, dum feminas in caussis  
propriis, necessariis, piis & summaris postulantes summa cum iusti-  
tia admittunt, (e) cognitum perspectumque habentes, impudentiæ do-  
num masculis æque ac feminis male moratis competere, eosque his se-  
pius hoc in flagitio dubiam reddere palmam. Comprobant hoc ipsum  
viuo exemplo fori nostri titinnabula, quæ Rabulistarum nomine veni-  
re solent, digna ob iteratum impudentiæ perficitæque frontis cri-  
men, ut non solum Aduocati prouincia; verum etiam reliquæ di-  
gnitates atque munera ipsis interdicerentur. Nolo tamen hac  
Apologia pro Calphurnia conscripta mulierum impudicarum, quæ  
exemplar luxuriæ ac leuitatis absolutum præbent, partes in me defen-  
dendas suscipere, tantum absit, vt Frauenlobii nomen adfectem, quod  
ob infinitas laudes omni generi femineo compositas consequitus est  
ille Henricus Moguntinus, Frauenlobius dictus & post mortem a mu-  
lieribus ex hospitio vsque ad locum sepulturæ deportatus, quam lepi-  
dam historiam Albertus Argentinensis litterarum monumentis prodi-  
dit (f) Sed hoc tantum intendo, reuocandum esse Edictum Prætorium  
plus iusto seuerum, admittendasque esse feminas ad officia & munera  
publica, ne iis via ad virtutem præcludatur. Nam ex historia littera-  
ria


(d) Plin. loc. adleg. (e) Vid. Strykii Adnotat. ad compend. Lauterbach. p. 120. Yo-  
ce feminæ. (f) Vid Bayle Dictionair Critiq. sub voce Frauenlob. p. 1290.

ria compertum habeo, Scythes nomen seminarum frustra perhorruis-  
se, veteres autem Germanos mulierum sanctiones & placita optimo  
iure omni cultu ac honore fuisse prosequutos. (g) Subministraretur hoc  
emolumento indigentibus pressisque paupertate maritis, quibus res  
angusta domi aut curta supellex eruditio est, leuamen, vitam  
commodam agendi & opera mulieris toti familiae de victu & amictu  
prospiciendi. Haberet hæc sanctio tum alia emolumenta plurima,  
tum illud in primis, quod feminæ in paupertate constitutæ tam solutæ,  
quam lecti foedere sociatæ honestis modis victum & amictum sibi suis-  
que querere & reiecto flagitioso viuendi genere maximis ae pene im-  
mortalibus meritis Rempublicam Patriamue exornare possent, vt alia  
commoda inde in societatem humanam vbertim protuberantia iam  
silentii velo obuolam. His finem facio & officii mei memor, Tibi,  
Clarissime Otto, qui in Od erana & Fridericiana Academia Philosophiæ  
& Iurisprudentiæ præclaram per integrum lustrum, & quod excurrit, de-  
disti operam, summos honores mox conferendos ex animo gratulor,  
voueoque, vt iuris æquine notitiam in tota tua vita excolas viuoque  
exemplo repræsentes, quo in iure vtroque rite excellas locumque ali-  
quem non inter circumforaneos istos clamatores, sed inter veros &  
graues ICTos mox obtineas. Data opera abstineo longioribus encomiis,  
nec per laudes Tuas latius decurro, ne modestiam Tuam of-  
fendam & adsentatoris crimen incurram.

(g) Tacit, de Mor. Germ, c. §.







**ULB Halle**  
003 245 462

3



85







**IOANNIS REICHLI,**  
DISSERTATIO APOLOGETICO-VOTIVA

qua

**CALPHVRNIA**

*Sapientissima inter mortales femina*

*conuictis Vlpiani vindicatur,*

&

VIRO - IVVENI

CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

**IACOBUS OTTO,**

AN CLAMENSI - POMERANO,

pro summis in Iure honoribus publice & solemniter disputanti perennis exoptatur  
felicitas.

18

XIX. 13 - 2